Canonicum.

Fiszkiewicz Stanisl. Mich: Quaestio iuridica de permutatione beneficiorum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

QUÆSTIO JURIDICA

De Permutatione Beneficiorum,

Ex c. Quæsitum. c. Cùm universorum. De rerum permutatione. & ex c. un. cod. tit. in 6. juncta l. Ex placito. & l. Rebus. C. De rerum permutatione & præscriptis verbis.

DEPROMPTA.

Sub Regimine Felicissimo,

Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini,

D. M. STANISLAI MAMCZYNSKI,

U. J. DOCTORIS & PROFESSORIS Ejusdemq; Facultatis DECANI, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Crac: CANONICI, Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Crac: DECANI, Parochialis in Smarzowice CURATI, Contubernii Jurisperitorum PROVISORIS, Librorum per Diœcesim Crac: CENSORIS, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS, Illmi Consistorii Crac: SURROGATI JUDICIS, Studii Generalis Universitatis Crac: PROCANCELLARII, & Generalis RECTORIS.

Pro loco in Collegio CC. DD. JureConsultorum Universitatis Cracoviensis obtinendo,

Per M. STANISLAUM MICHAELEM FICZKIEWICZ, U. J. PROFESSOREM, Ecclesiæ Collegiatæ SS. OO. Crac: CANONICUM, Contubernii Jurisperitorum SENIOREM.

In Lectorio CC. DD. JureConsultorum,

Publicè ad disputandum,

PROPOSITA.

Annô Domini 1760. Die 5ta. Mensis Februarii.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

URBANUS III. Papa.

Quæſitum eſt ex parte tua, ſi commutationes fieri valeant Præbendarum? cùm commutatio dignitatum in Turonenſi Concilio fuerit interdicta. Generaliter itaq; teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa Spiritualia vel connexa Spiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ. Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre perſonas, ut quæ uni loco minùs ſunt utiles, alibi ſe valeant utiliùs exercere. *c. 5. De rer. permut.*

QUÆSTIO JURIDICA

De Permutatione Beneficiorum.

U. Permutatio pura & ſimplex, quatenus eſt mutua & reciproca duorum vel plurium Beneficiorum Authoritate Superioris facta reſignatio, ex cauſis legalibus, nempe neceſſitatis vel evidentis utilitatis procedens, certis quibusdam ſubſtantialibus de jure præscriptis ad ſui ſubſiſtentiam requiſitis ſolenniſata & convalidata, poſſit nonnunquam aliquibus ex rationibus irritari & reſcindi? nec ne?

CONCLUSIO I.

Permutatio pura & ſimplex eſt mutua & reciproca duorum vel plurium Beneficiorum Authoritate Superioris facta reſignatio. (1)

(1) Joan: à Chokier *De permut. Benef: par.* 1. *Cap.* 1. Franc. Maria Gaſparrus *Inſtit. Jur. Can. par.* 1. *tit.* 14.

COROLLARIUM Imum.

PErmutatio Beneficiorum pura & simplex, licèt ex præscripto Concilii Turonensis ac dispositione Juris Canonici sit omnino Clericis Beneficiatis prohibita, (2) Authoritate tamen Superioris, puta Episcopi Ordinarii, ex præscripto *Const.* 58. PII V. vel aliûs Prælati Episcopalem jurisdictionem ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex privilegio speciali jus conferendi Beneficia in suo Territorio habentis, (3) fieri potest. Cæterùm Authoritate Vicarii Generalis id præstari nequit, absq; speciali mandato & consensu Episcopi Loci Ordinarii, (4) qualem consensum in Causis permutationum Beneficiorum, se, dum protunc Vicarium Tuderti ageret, exploràsse ab Episcopo Tudertino attestatur Vivianus. (5) Neq; demum Authoritate Capituli Cathedralis Sede Episcopali vacante, quia Capitulum Sede vacante nequit Beneficia conferre, ille autem, qui nequit conferre, nequit permutationes admittere. (6) Quod intelligendum est, quando collatio spectat ad Episcopum, secus si cumulativè ad Episcopum & ad Capitulum. (7)

COROLLARIUM II.

AD permutationem Beneficiorum, ut validè fiat, præter Authoritatem Superioris, indispensabiliter requiritur, ut uterq; permutantium Beneficiatorum habeat jus in re seu in Beneficio,

&

2. *c. Quæsitum. De Rer. permut. c. Majoribus. De Præbend. & Dignit.* Tusc. *Pract. Concl. Juris Tom. 6. Concl. 303.*
3. *d. c. Quæsitum. & d. c. Majoribus. dd. tt.* Garz. *De Benefic. par. 11. Cap. 4. n. 72. d.* Franc. Maria Gasparrus *loc. cit.*
4. Garz. *loc. cit. n. 74.*
5. Vivianus *in Praxi Jurispatronat. par. 2. Lib. 12. Cap. 5. n. 29.*
6. Garz. *loc. cit. n. 80. &* Franc. Maria Gasparrus *loc. cit. n. 10.*
7. Paulus Piasec. *Praxi Episc. par. 2. Cap. 5. art. 2. n. 68.* Laurent. de Nicollis *in Praxi Canonica Tom. 2. Lit. R. n. 63. & 64.*

& non jus ad rem seu ad Beneficium, (8) non obstante eo, quòd alteruter Permutantium vigore juris habiti in re, non adiit possessionem Beneficii. (9) Hinc habens Literas Expectativas à Sede Apostolica ad aliquod Beneficium vacaturum, non potest jus ad rem seu Beneficium virtute Expectativæ, cum Beneficio alterius habentis ad illud jus in re, permutare, etiam cum Authoritate Superioris. (10) Tum, quia permutatio Beneficiorum quæsitorum non verò quærendorum, à jure permittitur. Tum, quia rei certæ & propriæ, non verò alienæ permutatio valet, Beneficium autem expectatum non est expectantis. (11) Item præsentatus vel nominatus ad aliquod Beneficium, vel admissus vel approbatus ad Parochialem per concursum, vel Canonicè electus, quia omnes dicuntur habere jus ad rem tantùm, non jus in re, permutare cum alio nequeunt. (12) Permutatio etiam facta per Procuratorem constitutum tempore, quo Constituens non erat Dominus Beneficii, non valet, licèt tempore quo Procurator permutavit, esset Dominus. (13) Pariter habens jus ad Beneficium cum habente jus in Beneficio non potest jus suum permutare, prout nec duo habentes jus ad rem duntaxat. (14) Nec, qui accepit secundum Beneficium incompatibile potest permutare primum cum alio simplici : (15) quia primum vacat per adeptionem secundi incompatibilis. Secus est, si dicatur vacare in

pænam

8. Geminian. *in c. 1. De Rer. permut.* Flammin. Paris. *De Resignat. Benefic. Lib. 1. q. 21.* Garz. *loc. cit. par. 11. Cap. 4. n. 17.*

9. Corasi: *De Benef. Cap. 9. n. 1.*

10. Navar. *Concl. 43. n. 2. De Simonia.* Joan. à Chokier. *Tract. De permut. Benefic. loc. cit.*

11. Geminian. *loc. cit. n. 7.* Joan. à Chokier *loc. cit.*

12. *c. Venerabilis. De Except. c. Si tibi absenti. De Præbend. in 6.* Zerola *in Praxi Episcop. ver. Renuntiatio. §. 1.*

13. Joan: à Chokier *loc. cit. par. 1. cap. 1. n. 10. allegans Decis. Rotæ.*

14. Fred. de Senis *Tract. De permut. q. 13. &* Joan. à Chokier *loc. cit.*

15. Lessius *Tract. De Just. & Jure Lib: 2. Cap. 34. dubit. 36.*

pæham delicti, quia tamen adhuc eſt Beneficium ipſius quoad jus poſſidendi & fruendi. (*16*) Nec in Beneficiis Sedi Apoſtolicæ reſervatis fieri poteſt permutatio coram Epiſcopo, qui talia Beneficia nequit conferre, (*17*) multò magis in Beneficiis unitis, ac in Beneficio litigioſo, quia res litigioſa pendente lite nequit alienari, & propriè non eſt ſua ac propria litigantis. (*18*)

COROLLARIUM III.

Contractu permutationis omnia Beneficia, quæ jus permittit permutari, coram Ordinario permutari poſſunt, utpote Curatum cum Curato, vel ſi unum fuerit Curatum, alterum Simplex, non attento eo, quòd unum fuerit pingue, aliud macilentum; quia in permutatione transfertur ſolùm ſpiritualis titulus Beneficii, non attenta dignitate rei annexa, vel redditibus illius. (*19*) Quinimo poſſunt permutari plura Beneficia compatibilia cum uno, vel è converſo unum cum pluribus compatibilibus quandoq; etiam unum ex duobus incompatibilibus cum diſpenſatione retentis, cum alio incompatibili; modò in Literis diſpenſationis expreſſum fuerit, quòd poſſit duo Curata retinere, atq; illa vel illorum alterum dimittere, & locò dimiſſi aliud ſimile acceptare. (*20*) Parì modô permutari poteſt etiam Beneficium commendatum in Commendam perpetuam cum Beneficio ſive Simplici ſive Curato. (*21*) Item Præſtimonia, quæ dantur in titulum perpetuum, & habent annexum officium ſpirituale, qualia dantur in Hiſpania. Item Hoſpitalia, quæ in titulum conferuntur, & in quibus campana pulſatur ad congregan-

16. *Idem* Leſſius *loc. cit. dubit. 35.*

17. Franc: Maria Gaſparrus *loc. cit. n. 14.*

18. Joan: à Chokier *De permut: Benefic. par. 3. Cap. 8. n. 2. & 9.*

19. Franc: Maria Gaſparrus *loc. cit. n. 12.*

20. *d.* Joannes à Chokier *loc. cit. par. 2. Cap: 13. per totum.*

21. Idem *loc. cit. Cap. 7.*

gregandum populum ad Divina audienda, non inficiantur Doctores permutari posse cum aliis Beneficiis. (22)

COROLLARIUM IV.

QUamvis immediatè dictum, sit liberum esse, Jure permittente, Beneficiatis facere permutationes puras & simplices suorum Beneficiorum coram suis Locorum Ordinariis, restrictam nihilominus habent libertatem in Beneficiis Patrimonialibus, idest illis, quæ ex Apostolica concessione, vel Statutis, vel ex Synodalibus Constitutionibus Apostolica Authoritate confirmatis, vel ex immemoriali consuetudine necessariò conferuntur Natis, Incolis vel originariis alicujus Patriæ, Civitatis, Oppidi vel Parochiæ, ita, ut qui filii Patrimoniales sint, debeant provideri de ejusmodi Beneficiis, & non alii forenses easdem permutationes exercere & practicare, ex præscripto Bullæ ALEXANDRI VI. relatæ ab Hieronymo Gonzales ad *Reg*: *8*. Cancellariæ *gloss*. *9*. §. *1*, *n*. *29*. qua cavetur, ut Beneficia Patrimonialia semper provideantur dignioribus per concursum, & nunquam à Sede Apostolica impetrentur, imò nec admittantur permutationes, nec ullæ resignationes, nec etiam pensionum reservationes de dictis Beneficiis. (23) Similiter promoto ad Sacros Ordines sub titulo Patrimonii sui, non est liberum titulum Patrimonii vice Beneficii fungentem cum Ecclesiastico Beneficio permutare, ex quo titulus Patrimonii sit quid temporale, Beneficia verò Ecclesiastica debent esse perpetua absolutè & per se. (24)

22. Idem *loc. cit. Cap. 6. & ab eo relati* Paponius *lib. 2. tit. 7.* Mandosus *ad Regulam de Annali q. 12. n. 3. & 4.* Flamminius Parisius *Tract. De resignat. Benef. lib 2. q. 14. n. 3.*

23. Joan. à Chokier *loc. cit. par. 2. Cap. 12. &* Rota *in una Jacensi Rectoriæ 19. Octobris 1598. coram D. Decano ibi* = Beneficia quæ debentur ex indulto Apostolico filiis Patrimonialibus, non possunt permutari ad favorem filiorum non Patrimonialium.

24. Idem Joan. à Chokier *loc. cit. Cap. 13.*

COROL-

COROLLARIUM V.

EX omnibus ſpeciebus permutationis Beneficiorum, quales ſunt pura & ſimplex, conditionata, facta in favorem, facta cum pacto, triangularis, quadrangularis & aliæ, ſola duntaxat permutatio pura & ſimplex correſpondens reſignationi puræ & ſimplici fit & perficitur conſenſu & Authoritate Ordinarii; non item triangularis aut quadrangularis, (25) dum videlicet tres vel quatuor ſimul, reſignant ſua Beneficia ea conditione ſeu pacto, ut 1mus reſignet ſuum Beneficium 2do, & 2dus ſuum 3tio, & tertius ſuum quarto, & quartus ſuum primo. *V.G.* Ego renuntio meo Beneficio in favorem Petri, ut Petrus ſuô cedat Paulo, & Paulus ſuo cedat mihi: viſum enim eſt, ut Pauli Beneficium ſit commodius mihi, Petri verò ſit commodius Paulo, & meum Petro, quo poſito, initur permutatio triangularis, quæ omnino eſt vetita fieri coram Ordinario, utpote facta in favorem, & continens expreſſum pactum reſignationis reciprocæ. (26) Secus tamen eſt, ſi fiat in manus Papæ. (27) Et ratio diverſitatis eſt, quia reſignatio illa in favorem, vel cum pacto, quæ fit coram Papa, non habet in ſe conditionem turpem, cùm Pontifex acceptando hujusmodi permutationem, purget eam maculâ ſimoniæ, vel alio vitio per Jus humanum inducto, quo Jure permutationes in favorem factæ, ſunt ſimoniacæ. (28) Aliud dicendum in Ordinario, qui vitium illud ſeu turpitudinem purgare nequit. (29)

25. Vivianus *in Praxi Jurispatr. par. 2. lib. 12. Cap. 5. n. 25.*
26. Leſſius *Tract. 5. De Juſt. & Jure Lib. 2. Cap. 35. dubio 16.*
27. Idem Leſſius *loc. cit.* & Azorius *lib. 7. Inſt. Moral. Cap. 30. verſu* = Quartò quæritur.
28. *Gloſs. in c. Ex parte. v. dimittere. De Offic. Judic. Deleg.* Navarrus *in Manuali Cap. 23. n. 117. §. Ad decimum.*
29. Boetius Epo *ad c. Cùm olim. n. 97. De rer. permut.* Joan. à Chokier *par. 2. Cap. 25. per totum.*

CON-

CONCLUSIO II.

Permutatio Beneficiorum pura & ſimplex ex cauſis legalibus neceſsitatis vel evidentis utilitatis procedit (1)

COROLLARIUM I.

IN permutationibus Beneficiorum cauſæ neceſſitatis vel utilitatis disjunctivè ſumptæ, non Perſonas ipſorum Permutantium, ſed Eccleſias quæ permutantur, reſpicere debent, ita, ut neceſſitas aut utilitas hòc locô non intelligatur Perſonarum ſed Eccleſiarum. (2) Quare permutationes Beneficiorum, quæ non habent neceſſitatem aut utilitatem Eccleſiarum, non poteſt nec debet Epiſcopus expedire. (3)

COROLLARIUM II.

AD permutationem Beneficiorum Authoritate Epiſcopi perficiendam non requiritur, ut cauſa neceſſitatis habeat ſe ex parte utriusq; Eccleſiæ Permutantium, ſed ſufficit ex parte alterutrius. Secus dicendum de cauſa utilitatis, quæ reſpicere debet utramq; Permutantium Eccleſiam; (4) quanquam non deſint, qui tenent ſufficere utilitatem unius Eccleſiæ pro juſta cauſa permutationis admittendæ per Ordinarium, & quidem in fundamento textûs *c. Quæſitum. in fin. De rer. permut.* ibi = *ut qui uno loco minùs ſunt utiles, alibi ſe valeant utiliùs exercere.* (5)

1. *c. Quæſitum. De rer. permut.* Abb. *in Can. Mutationes.* 7. *q.* 1. Boer. *decis.* 205. *n.* 7.
2. Joan. à Chokier *De permut. Benef. par.* 2. *Cap.* 21.
3. Azor. *par.* 2. *Inſt. Moral. lib.* 7. *Cap.* 30. *vers.* = Quartò quæritur. Cucchi *Inſtit. Jur. Canon. Lib.* 2. *Tit.* 16.
4. Tuſc. *Lit. P. Concl.* 305. *n.* 5. Geminian. *Conſil.* 105.
5. Garz. *De Benef. par.* 11. *n.* 49. Laur. de Nicol. *Jur. Can. Tom.* 2. *lit. R. De renunc. n.* 58.

COROL-

COROLLARIUM III.

PRæter utilitatem prærecenſitam alterutrius Eccleſiæ, etiam utilitas ipſorum Beneficiatorum eſt juſta cauſa admittendi permutationes coram Ordinario, (6) dummodo utilitas Permutantium ſaltim reductivè redundet in utilitatem Eccleſiæ, (7) quemadmodum cùm Clericus tutò in loco nequeat commorari propter aſſiduas vel capitales inimicitias, aut propter àëris intemperiem, vel non poſſit ſuo fungi munere ob idiomatis imperitiam, vel quia alter Permutantium eſſet Eccleſiæ utilior, *v.g.* ad extirpandam de Parochia hæreſim, ad ſublevandam à ruinis Eccleſiam, aut ad evincenda illius Jura &c. (8) aliàs ſi pro aliquo humano ſolùm commodo, non ex cauſa ſpirituali: ut meliùs Deo ſerviatur, vel ut tali loco poſſit quis meliùs Deo ſervire, utriusq; vel alterius fiat permutatio, hujusmodi permutatio erit ſimoniaca. (9)

COROLLARIUM IV.

EPiſcopus Ordinarius habens jus conferre permutata Beneficia, antequam ad eorum reſignationem & permutationem deventum ſit, obligatur ſtrictè & rigorosè cauſas ſupraſcriptas neceſſitatis aut utilitatis examinare, ſi ſint juſtæ, adæquatæ, veræ & non prætextuoſæ, ſi non ex palliationibus, technis & ſimultatibus Permutantium procedunt. (10) Si verò permutanda Beneficia conſiſtant in duabus Diœceſibus, utriusq; Diœceſis Ordinariis

6. *c. Cùm univerſorum. & gl. in v. utilitati.* & Abb. *n.* 7. *De rer. permut.*
7. Barb. *De Jur. Eccl. lib.* 13. *Cap.* 15. *n.* 127.
8. Joan. à Chokier *loc. cit. Cap.* 21. *par.* 2.
9. D. Th. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 3. Sylveſter *ver: Permutatio n.* 3. Ugolinus *De ſimonia.* Garz. *Tract. De Benef. par.* 11, *Cap;* 4. *n.* 45.
10. Anchoran: *Conſil.* 219. Cravetta *Conſil.* 82. *n.* 82. Rebuff: *in Praxi tit. De permut: n.* 19. *c. Quæſitum. De rer. permut. ibi* = Si enim Epiſcopus cauſam conſpexerit neceſſariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre perſonas.

dinariis incumbit, sicut Authoritatem super permutatione darē, ita prædictum diligens examen præmittere. (11) Causîs demùm justîs per Episcopum vel Episcopos adinventis, firma permanebit permutatio, nec ob id, si postea eædem causæ cessaverint, annulari poterit & rescindi. (12)

COROLLARIUM V.

BEneficiati intendentes permutare inter se Beneficia sua, possunt tutò & securè extra metum simoniæ, inter se de facienda permutatione, deq; causis utilitatis vel necessitatis allegandis tractare, ac de facienda permutatione convenire, dummodo se muniant hac cautione: si & quatenus approbetur à Superiore. (13) Talis enim medius tractatus de causis necessitatis vel utilitatis, ac de ipsa permutatione, est medium moraliter necessarium ad permutationem faciendam, nè hanc intendens, cæcô modô suum Beneficium permutare cogatur cum Beneficio alterius, ignorans an ille ad hoc habeat animum; atq; concesso fine, puta permutatione Beneficiorum, censentur etiam concessa media, sinè quibus finis commodè obtineri nequit. (14)

CONCLUSIO III.

Permutatio Beneficiorum pura & simplex, certîs quibusdam substantialibus de Jure præscriptîs ad sui subsistentiam requisitîs solennisatur & convalidatur. (1)

11. Vivian. *in Praxi Jurispatr. par. 2. lib. 12. Cap. 5. n. 26.* Laur. de Nicoll. *in Praxi Canonica Tom. 2. sub Lit. R.*
12. Barb. *Juris Eccl. universi Lib. 5. Cap. 15. n. 172.* Reiffenst. *lib. 1. Tit. 9. n. 96. De renunc.*
13. Reiffenst. *lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 102.* Abb. *in c. Quæsitum. n. ult.* Pirrhing. *De rer. permut. n. 21.*
14. *arg. c. Præterea. 5. De Offic. Jud. Deleg.* Reiffenst. *loc. cit d. n. 102.*
1. Garz. *par. 11. De Benef. Cap. 4. c. un. De rer. permut. in 6.* Franc. Maria Gasp. *Inst. Canonic. par. 1. tit. 14. De permut. Benef. n. 3.* Laur. de Nicoll. *in Praxi Canonica Tom. 2. sub lit. R. De renunc.*

COROLLARIUM Imum.

AD permutationem Beneficiorum puram & simplicem complendam, & ab Episcopo admittendam, præscribuntur à jure decem in specie requisita: *1mò*, ut fiat permutatio Beneficii cum Beneficio. *2dò*, justa causa per Episcopum discutienda & disjudicanda. *3tiò*, Consensus Patronorum & aliorum quorum interest. *4tò*, ut permutationem præcedat actualis permutandorum Beneficiorum resignatio. *5tò*, nova collatio Beneficiorum sic vacantium, prævio examine si Curata fuerint, & professione Fidei. *6tò*, ut ejusmodi permutatio & collatio fiat purè, hoc est sine imposita pensione vel alio onere aut pacto. *7mò*, ut Literæ permutationis simul expediantur. *8vò*, ut antequam possessio accipiatur, publicatio resignationum & permutationum fiat in Ecclesiis resignatis ex causa permutationis. *9nò*, Authoritas Superioris. *10mò*, consensus seu tractatus mutuus permutare volentium Authoritate Superioris, (2) qui quidem tractatus potest fieri ante complendam permutationem, non item quando jam completa est. (3) demùm ex Jure Constitutionum Provincialium Regni Nostri, continuatio studii per triennium in Universitate approbata, ibi = *Statuimus, ut Ordinarii non conferant Beneficia quæcunque & qualiacunque nisi illis, qui per triennium in UNIVERSALI STUDIO APPROBATO Literis operam dederint, literasque testimoniales Rectoris Gymnasii, desuper Ordinariis ostenderint. Rogarique debet Sacra Regia Majestas per Archi-Episcopum & Episcopos, & Patronis Sæcularibus persuaderi, ut tales Personas Ordinariis ad Beneficia eorum Patronatûs, præsentent instituendas, si autem in hac re persuaderi non poterint, tunc Ordinarii injungant districtè taliter institutis, ut studeant similiter in STUDIO UNIVERSALI APPROBATO per biennium post factam institutionem*.(4)

2. Reiffenst. *Juris Canon. univ. lib. 1. tit. 19. De renunc. n. 100.* Laur. de Nicol. *loc. cit. eod. tit.*

3. *glos. in c. Cùm universorum. De rerum permut. v. Tractare.*

4. Constit. Provinc. *Lib. 3. Tit. De Institution. & qualit. instituend.*

COROL-

COROLLARIUM II.

PErmutatio pura & simplex bene potest esse Beneficii cum Beneficio Authoritate Episcopi, non item Beneficii cum pensione, & multò magis cum re temporali, (5) aut pensionis cum pensione. (6) Quòd autem nequeat fieri permutatio Beneficii cum pensione, aut cum aliqua alia re temporali, Ratio est: quia Episcopis in Jure solùm est permissum concedere & approbare permutationem Beneficiorum, non item Beneficii cum pensione; proinde facultas Beneficia permutandi concessa Episcopis, non est extendenda ultra tenorem verborum ad permutationem Beneficii cum pensione. (7

COROLLARIUM III.

QUamvis ad convalidationem permutationis Beneficii de Jure Patronatûs, consensus Patronorum requiratur, illeq; sufficiat post permutationem præstitus, imò etiam tacitus per non reclamationem. (8) Secus si reclament; quo casu permutatio erit ipso Jure nulla. (9) Similiter erit nulla ipso Jure, si Permutantes scienter spernant Patronum aut Patronos, quibûs contradicentibûs, Permutantes non possunt ad sua redire Beneficia, sed illa vacant, & Patroni possunt alios præsentare. (10) Nihilominus si Patronus requisitus pro suo consensu, illum deneget sinè justa

5. Bonac. *De simonia disp.* 1. *q.* 5. §. 12. *n.* 8. Barb. *De Jur. Eccles. lib.* 3. *Cap.* 15. *n.* 178.

6. Garz. *De Benef. par.* 1. *Cap.* 5. *n.* 18.

7. *arg. c. Cui de non.* 27. *De Præbend. in* 6. Reiffenst. *loc. cit. n.* 100. *De renunc.*

8. Lambert. *De Jurepatr. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 6.

9. Loterius *De Benef. lib.* 2. *q.* 14. *n.* 75. *& seqq.*

10. Idem Loter. *loc. cit. n.* 84. *& seqq. Rota in Gerunden. permutationis* 5. *Julii* 1595. *coram D. Litta, quam refert* Garz. *De Benef. par.* 11. *Cap.* 3. *sub n.* 19.

causa, potest Episcopus Authoritatem præstare validè, sinè consensu Patroni, (11) nè impediatur utilitas Ecclesiæ.

COROLLARIUM IV.

QUartum requisitum substantiale, ut nimirum permutationem Beneficiorum, præcedat actualis permutandorum Beneficiorum resignatio, non intelligitur de pura & simplici resignatione, sed cum expressa causa permutationis in manibus Episcopi facta. (12) Et resignatio quatenus talis cadit sub Regulâ Cancellariæ *19. De viginti* (13) quæ operatur, ut si Beneficiatus sanus prævia resignatione mutua, commutet Beneficium suum cum alio Beneficiato infirmo, Beneficiatusq; infirmus intra viginti dies post factam resignationem moriatur, Beneficium morientis censeatur vacare per obitum, & sic reddatur permutatio frustranea. (14) Secus, si resignatio Beneficiorum facta fuerit utroq; Permutantium in statu perfectæ sanitatis existente, quia Regula inquit = *Si quis in infirmitat constitutus resignaverit.* = (15)

COROLLARIUM V.

EX Constitutione Pontificia GREGORII XIII. quæ incipit = *Humano vix judicio* = edita *Nonis Januarii 1583.* accessit novum circa Beneficiorum permutationes requisitum, per quod ordinatur, ut Beneficiorum resignationes, tam simplices quàm ex causa permutationis factæ, in Romana Curia debeant publicari Citramontanæ intra sex Menses, Ultramontanæ intra novem Menses. Eæ autem quæ coram Ordinariis fiunt, & eorum provisiones

11. Felin. *in c. Cum accessissent. n. 30. De Constit.* Abbas *in c. Quæsitum n. 9. De Rer. permut.* Franc: Maria Gasp. *loc. cit. tit. 14. De permut. Benef. n. 6.*
12. Joan. à Chokier. *De permut. Benefic. par. 1. Cap. 5. n. 1.*
13. Idem *loc. cit*
14. Reiffenst. *lib. 1. tit. 10. De Renunc. §. 3. n. 68.*
15. Idem *loc. cit. n. 71.*

ſiones intra Menſem à die reſignationis & proviſionis ſecutæ in Eccleſiis permutatis, vel ſi adſit peſtis aut aliud periculum, in viciniis publicari debent, & ſi publicatæ non fuerint, eo ipſo Beneficium illud vacaret, & ſubjaceret reſervationi & diſpoſitioni Sanctæ Sedis, ita, ut nec reſignans poſſit repetere iſtud Beneficium. (16) Quam Conſtitutionem extendi etiam ad Beneficia Jurispatronatûs praxis Romana docet. (17) Nihilominus eadem Conſtitutio ſicut in pluribus locis non eſt uſu recepta, ita præſcripta reſignationum publicatio ad effectum non eſt deducta, (18) imò nobis etiam Ultramontanis vix eſſe uſitatam teſtatur Piaſeccius. (19)

CONCLUSIO IV.

Permutatio Beneficiorum pura & ſimplex, ex cauſis juſtis procedens, certis quibusdam ſubſtantialibus requiſitis ſolenniſata & convalidata, irritari nonnunquam & reſcindi aliquibus ex rationibus poteſt. (1)

COROLLARIUM 1mum.

RAtiones, ex quibus permutatio Beneficiorum completa & certîs ſubſtantialibus requiſitîs ſolenniſata nonnunquam irritari & reſcindi poteſt, ſunt potiſſimum fraus, ſimonia, per falſam rei expoſitionem Superioris deceptio, & voluntarius alterutrius Permutan-

16. Laur. de Nicollis *in Praxi Canonica Tom.* 2. *ſub lit.* R. *De renuntiat. n.* 88. Reiffenſt. *lib.* 1. *tit.* 9. *De renunc.* §. 6. *De publicat. reſign. n.* 134. Joan. à Chokier *par.* 3. *Cap.* 15. *per totum.* Piaſecki *in Praxi Epiſcop. par.* 2. *Cap.* 5. *art.* 3. *n.* 46.

17. Seraph. *decis.* 1286.

18. Garz. *par.* 11. *De Benefic. Cap.* 3. *n.* 289. Pirrhing. *De Reſignat. Benefic. n.* 109. Reiffenſt. *loc. cit. n.* 135.

19. Paulus Piaſecki *in Praxi Epiſc. par.* 2. *Cap.* 5. *art.* 3. *n.* 47.

1. Joan: à Chokier *par.* 3. *Cap.* 1. & 2.

mutantium dissensus, seu à permutatione jam completa recessus; (2) quandoquidem expeditum est, contractum permutationis fraude carere debere, (3) quia quotiescunq; emergit, actum contrahentium ita inficit, ut nullus reddatur, & nemini ex suo dolo seu fraude commodum reportare convenit. (4)

COROLLARIUM II.

FRaus in contractibus permutationis Beneficiorum interveniens, uti omni jure odiosa nunquam præsumitur, nisi probetur & quidem in specie esse talis, & cùm nequeat probari directè (5) probatur per verisimiles conjecturas, ùt *v.g.* quia renuntiationis tempore is, qui Præbendam vel Dignitatem pinguiorem habuit infirmitate gravi detinebatur, vel aliquid aliud imminebat, propter quod illius Præbenda vel Dignitas vacare in proximo probabiliter credebatur. Vel si Permutans cum nepote contraxerit, & regulare est, quòd ex conjunctione sanguinis dolus & fraus præsumatur. (6) Item, quando is, qui renuntiat, semper remanet in possessione Beneficii resignati. Item, quando Beneficiatus permutat Beneficium pingue cum alio tenui. Item, quando qui permutavit est senilis & decrepitæ ætatis. (7) Postremò fraudis suspicionem seu conjecturam inducit, si fiat permutatio cum Beneficio vel Capellania ficta, vel cum Canonicatu, qui nullius erat momenti; quia jactare suum quis in dubio non præsumitur, (8) hujusmodiq; permutationem irritam prosemper declaravit Pontifex, (9) semperq; in judicio venit irritanda & rescindenda.

2, *Passim DD. in Rubricam De rerum permut.*
3. *c. Licet in tua. un. De rer. permut. in 6.*
4. *l. Hæres meus. 76. §. Quod infra. ff. De Condit. & Demonstration. c. Nobis. De simonia;*
5. *l. Dolum. C. De dolo.*
6. *l. Non solum. & ibi DD. ff. De ritu Nuptiarum.*
7. Joan: à Chokier *par. 1. Cap. 1.*
8. *l. Cùm de indebito ff. De Probat.*
9. PIUS IV. *in Const. publicata A. 1564.* Senatus Parisiensis *apud* Paponem *lib. 2. Arestor. tit. 7. Arestô 1mo.*

COROL-

COROLLARIUM III.

Contractus permutationis Beneficiorum à Beneficiatis mutuò & reciprocè factus, cum clandestino ab utrinq; acceptato pacto, ut fructus excedentes proventus minoris Beneficii solvantur Compermutanti; sicut fuit à principio ex pacto clandestino simoniacus & nullus; (10) ita detectô postea pactô hujusmodi per confessionem alterutrius Permutantium, vel ex delatione tertii, vel ex Literis missivis petitionem præstandæ hujusmodi pensionis continentibus, vel aliis aliquibus causis, rescindendus, cassandus & revocandus per sententiam Judicis venit, cum declaratione incidentiæ in simoniam realem & excommunicationem Papalem tam ipsorum Permutantium, quàm illorum Mediatorum, (11) nec in minimo suffragante authoritate Superioris nempe Episcopi, ex quo sanare turpitudinem contractûs ex vitio simoniæ ortam nequit. (11)

COROLLARIUM IV.

Deceptio Superioris nimirum Episcopi per falsam rei expositionem, fit interdum causa sufficiens & adæquata irritationis & rescissionis contractûs reciproci permutationis Beneficiorum etiam per requisita substantialia solennisati, quod accidit tunc, quando volentes permutare exponunt coram Superiore Beneficium quod est affectum vel reservatum Sanctæ Sedi, esse liberum, & nullo modo affectum aut reservatum. Vel Beneficium, quod est Patrimoniale, exponunt esse non Patrimoniale, aut quod est unitum, non esse unitum dicunt; tali enim modo decepti Superioris Authoritas non tribuit tantum robur firmitatis contractui, quin rescindi & irritari valeat. Quod enim latenter, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. (13)

10. Navarrus *Consil. 50. lib. 5. De simonia.*

11. *Extrav. 2. De simonia.*

12. *Const.* PII V. *edita Annô 1569. Calendis Junii.* Joan. à Chokier *De permut. Benefic. par. 3. Cap. 2. & 16.*

13. GREGORIUS *in c. Quod latenter. De Reg. Jur. c. Universorum. De rerum permut. & ibidem glossa.*

COROLLARIUM V.

VOluntarius alterutrius Permutantium dissensus, seu à permutatione Beneficiorum jam completa & solennisata liber recessus, est causa irritationis dissolutionis & rescissionis Contractus permutationis, imò per ipsum etiam dissensum sub authoritate Superioris irritatur, dissolvitur & rescinditur, puta si causa justa subsit, *v. g.* quia unus Beneficium reservatum permutavit, vel in permutato Beneficio nullum jus in re habuit; secus si nulla causa ad recedendum subsit. Cessante enim impedimento & perfecta ab utrinq; permutatione, si unus ex facto pacta rescindat, non continuò concidit Contractus; nec contra turbantem intendit quis judicium, ut resolvatur primus Contractus & jus pristinum redeat, sed ut observentur promissa agendum erit. (*14*) Quod si verò in ordine ad permutandum unus ex paciscentibus Beneficium suum resignavit, alter verò resignare nolit, illi, qui resignavit, remanebit ad Beneficium regressus, non obstante resignatione, nam ille qui resignavit, non resignavit simpliciter, sed sub conditione, ut etiam alius Beneficium resignet. Conditione igitur non servata potest prius Beneficium authoritate Superioris repetere per condictionem = *causâ datâ, causâ non secutâ.* (*15*)

14. *c. Inter R. De Elect. l. Incivile C. De rei vindicat.* Joan: à Chokier *par. 3. Cap. 9. n. 3. l. 3. & 6. C. De rerum permut. & præscript. verb.*

15. Franc: Maria Gasparrus *Instit. Canonic. par. 1. tit. 14. De permut. Benefic. n. 8. d. c. Cùm universorum. De rer. permut.*

Hinc Illi

Cujus Fide & beneficiis vivimus, *Æsther 16.*
Qui dedit vicissitudinum, permutationes,
Sap. 7mo.

DEO TER OPTIMO MAXIMO,
sit laus, honor & gloria.